

Rupert.

Ubi duo observo ex Ruperto lib. 3. in Cantica sub initium. Primum, per lectulum Salomonis designari Virginem Matrem, in cuius utero virginali Deus naturam induens humanam requievit, post Angelorum tumultus: Quis enim est lectus verè, & veri pacifici Regis Salomonis, nisi illa, in qua divina natura humanam sibi naturam conjunxit? Et quis ille est nisi uterus tuus, dilecta dilecti, uterus virginalis? Secundum, idcirco hunc lectulum tot fortibus, & strenuis militibus bene cataphractis, undeque cingi: Quia radicem, sive arborem bonam, quod erat genus Abrahæ, ad quem primò beati seminis repromisso facta fuerat, diabolus per barbaricos gentium, vel Regum impiorum gladios excidere, atque extirpare volebat. Idcirco tempus belli tunc erat, ut defenseretur genus Abrahæ, ut defenseretur radix Jesse, genus & radix David, donec in B. Virgo nasceretur lectulus veri Salomonis. Certè spectavit hæc propugnatio, non tam ad ipsos populi Hebraici bellatores, quàm ad ipsos Angelicos Spiritus, quibus potissimum id curæ erat, ut claret ex passim obvis sacræ Scripturæ testimoniis. Vide dicta sectione antelapsa.

Angeli summopere invigilantur Marianæ formationi, & creationi. S. Bern.

S. Ansel.

220 Deinde, hæc Angelorum custodia, obsequium & famularus erga Deiparam tunc se maximè prodiit, enituitque, cum illius formationi, & creationi summopere invigilantur. Huc revocanda sunt Canticorum verba proximè data, juxta S. Bernardi expositionem in Ser. illo inscripto Laus Mariæ, sic ille: Sed & innumerabilem beatorum Spirituum militiam ad ministerium tantæ Principis delegatam nulatam ambigimus, utpote qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ac providerent, ne præparatum eterno Regi hospitium alienus hospes invaderet. Sed audiendus S. Anselmus lib. de excellentia B. Virginis Mariæ c. 3. Nulli dubium, castissimum corpus, & sanctissimam animam ejus funditus ab omni fuisse macula peccati jugi Angelorum custodia proteclam, utpote autam, quam suus, & omnipotens creator Deus corporaliter inhabitaturus, & ex qua hominem in suæ personæ unitate ineffabili fuerat operatione suscepturus. Quod exemplo firmat Principis, qui cum aliquò vadit hospitaturus, clientes præmittit, qui locum muniant, ornent, & custodiant. Consonant Fulbertus Carnotensis Episcopus ser. de Virg. Nativitate: Quanta, inquit, putamus provisio Angelorum circa tam Deo gratissimos parentes ab initio suæ procreationis, & excubatio super tam ingentem sobolem: nulli profecto dubium est, quod circa eam jam tunc omnis frequentia cælestium agminum invigilabat, utpote quam supra se exaltandam minimè ambigebant. Bernardinus Buxius in Mariali Ser. 8. de Conceptione p. 3. revelationem refert factam sanctæ Moniali anno 3. Bonifacii VIII. nempe immaculatæ Virginis Conceptioni interfuisse tria millia Cherubinorum canentium, Mater Domini est Maria, & tabernaculum Trinitatis. Adde ex S. Vincentio Ferrar. Ser. 2. de Nativitate B. Virg. dum Deipara in utero Annæ conciperetur. Sancti Angeli conceperunt Virginem in mentibus eorum, per quam eorum ruina repararetur: & inceperunt tripudiare, & facere festum magnum.

Fulbert. Carnot.

Quot Angelorum millia Marianæ Conceptioni interfuerunt.

S. Vincent. Ferrar.

221 Quanta, & quàm multa foetui, dum matris utero continetur pericula imminant, præter experientiam abortuum, vel ex iis licet addiscere, quæ Medici caverunt. Mitto

Quanta fuerunt in ma-

alios; unum audi Avicennam Arabum Medicorum Principem in canone medicinæ lib. 3. Fen. 21. tract. 2. c. 20. quod est de conservatione embrionis: & cautela abortus: Embriosis, inquit, suspensio ex matrice est sicut suspensio fructus ex arbore, & sicut major timor, qui timetur, super fructum quod cadat, est, aut cum incipit ejus apparitio, aut cum ipsius existit maturaio: similiter quod vehementius timetur super embrionem, quod abortivus fiat, est apud principium conceptionis, & ante oppropinquationem partus. Quare oportet, ut caveantur in his duabus horis causæ abortus prædictæ. Causas abortus numerat c. 8. percussionem, casum, exercitium superfluum, vehementem saltum, iram vehementem, timorem, tristitiam, & alias, quas latè persequitur Hippocrates lib. 1. de morbis mulieribus & Aphor. 3. & 5. 12. 27. 31. 34. Legesit Taranta lib. 6. titulo de regim. prægnantium, Jacobum Rufelium lib. 5. de Mulieribus c. 4. Mercatum lib. 3. de morbis mulierum c. 22. Ludovicum Bonaciolum Enneade Muliebri c. 7. Joannem Alphonsum lib. de privilegiis prægnantium: privilegio 6. Hinc jam Tertullianus scribit lib. de anima c. 37. Omnem hominis in utero, ferendi, struendi, fingendi paraturam aliqua vique Potestas, divine voluntatis administra modulatur. Et mox explicat, quæ sit hæc potestas: nos officia Angelorum audimus, officia vocat, id est, ministros: ad quos spectare ait curam, & vigiliantem custodiam erga foetus in utero Matris, ne ullo casu, ullivè stigi hostis insidiis periclitentur. Hæc igitur custodia, vigiliantia, & ministerium Angelos summopere tangebant erga Deiparam in Annæ utero commorantè; cui Tartareus Draco maximè insidiabatur, ne matureceret. Sed quidquid nocere poterat, Angeli removebant, & propulsabant jugi obsequio.

tri utero pericula imminant.

Avicenna;

Tertull.

Angelorum vigilans custodia factus in utero matris.

De effusa Angelorum lætitia in Deipara ortu.

Georg. Nicomed.

De ferventi & humili in Christum ac Deiparam clientela Angelorum in Incarnationis mysterio.

S. Justin.

S. Hieron.

S. Ephrem.

oblatio muneris, famulatus obsequii. S. Ephrem in orat. de Deipara: Servili habitu ad te Virgine clamans cecinit. S. Petr. Damian. Ser. 3. de B. Virg. Nativ. O novum & inauditum Angelicæ salutationis obsequium! Et S. Bernard. Ser. super Signum magnum: Reverenter & officiosissime ab Angelo salutata est. En Gabrielis, & Angelorum obsequium & famulatum in Christum, & Mariam, eo Dominicæ Incarnationis tempore.

S. Damian.

S. Bernar.

De Angelorum gaudio, cultu & ministerio in Bethleemico stabulo, & alibi sapte.

Luc. 2. 10.

Matt. 4. 11. S. Thom.

Angelus Christum confortans in horto.

S. Epiphani.

Deuter. 32.

Deipara multis comitata Angliis ei famulantibus. S. Bernard. Senens.

S. Bernar.

S. Bernard.

224 Eorundem Angelorum gaudio, cultu, & ministerio erga Deigenitricem, & puerum Jesum in Bethleemico stabulo natum, habes apud Lucam c. 2. v. 10. Expende illud v. 13. Et subito facta est cum Angelo multitudo militia cælestis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo. Existimo, Angelos omnes, quotquot in cælo sunt, Infanti Jesu, ejusque Matri famulorum instar tunc adfuisse. Adfuisse etiam Christo semper, & ubique tanquam obsequiosissimi servi, & satellites: post devicta Luciferi machinamenta in deserto Matt. 4. 11. Ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. Ubi S. Thomas: Semper Angeli cum Christo erant, etsi ad horam recesserunt, de ejus voluntate, ad hoc ut diabolus locum tentandi haberet: exhibebant enim ministerium in exterioribus, scilicet in miraculis, & aliis corporalibus, quæ sunt mediantibus Angelis. In horto, oranti cum sudore sanguineo Domino Angelus apparuit confortans eum. Apparuit, affumpto corpore pulcherrimo, atque splendido. Janfenius credibile judicat, non semel tantum apparuisse, sed ter in tribus orationibus. Nonnulli non unum dumtaxat Angelum, sed plures apparuisse arbitrantur Christum confortantes. Cujusmodi fuerit hæc confortatio, præclare S. Epiphanius hæresi 69. in Ancorato, his verbis: Admiratione ductus Angelus dicebat ad ipsum glorificans, ac benedicens proprium Dominum in stadio consistentem: Tua est adoratio, tuum est dominium, tua est potentia, tua est fortitudo; ut impleat id, quod à Moysè dictum est: Confortent ipsum omnes Angeli Dei. Laudaverunt tunc, fortem prædicarunt magno utique cultu, & humili obsequio Christum, proprium Dominum, Angelica cohors.

225. Denique universim de Deipara Virgine dicendum, pluribus fuisse semper Angelis comitatam, qui ei famulabantur. Ita S. Bernardin. Senen. Ser. 51. a. 3. c. 2. Affuit ei Angelorum protectio: assistebant enim illi innumerabiles multitudines Angelorum in ejus protectione. De hoc Propheta ad Virginem ait: Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Pie enim credo, quod plurimas legiones habuit Angelorum ad custodiam, & protectionem suam, cum & Eliseus, ut legitur 4. Reg. 6. Angelorum multitudinem habuit ad sui defensionem. Georgius Nicomed. Orat. de oblat. Deiparæ decies millia Angelorum agnoscit Virginem stipantium. S. Bernard. in Ser. Inscripto, Laus Mariæ, nullatenus ambigit, Innumerabilem beatorum Spirituum militiam ad ministerium tantæ Principis delegatam. Et S. Bernardin. to. 1. Concio. 61. Omnes Angelici spiritus sunt hujus gloriose Virginis servi. Servi quidem ita Dominicæ suæ obsequentes; ut omnes inferni penas libentius sustinerent, quàm aliquibus suis præceptis in aliquò contradicere; ut dicitur Ser. Angelico de Virg. excellentia c. 2. apud S. Brigittam. De Angelorum omnium cultu & obsequio exhibitus Virgini morienti, & incælos assumptæ, plura videas testimonia P. Ildeph. de Flores in Ecclef.

trū apud Castro in Historia Deiparæ c. 20. n. 14. SECTIO XI. Quo tempore habita hæc Concio, & Angelorum plausus subsessit.

226 Vidimus, Jesum, & Deiparam, sub nomine sapientia, seu sapientiarum, induci toto eo capite 24. à Siracide Jesu, seipfos dilaudantes, magnaliaque sua evulgantes. Scrutamur modò pulchram utique questionem: quonam videlicet tempore, hanc habuerint panegyrim, subsessit Angelicis plausibus, & acclamationibus. Dixeris forsam, Christum, ejusque Parentem eatenus præconia hæc mundo cecinisse, suam sanctitatem declarasse, & seipfos tantoperè commendabiles præstitisse, quatenus inter homines conversando, verba sapientiæ plena dedere, mirifica opera, & virtutum exempla edidere omni præconio dignissima. Sed tamen cum in eo capite 24. per profopopæiam quandam loquentes inducantur Jesus, & Maria, fuerintque ante omnem creaturam non conditionis anticipatione, sed prædestinatione, atque præordinatione Dei, ut dicemus Verbum quintum prementes; duo proinde statuo. Primum,

227 Hæc Concio habita est, postquam Angeli creati sunt, vel quo tempore viatores fuerent, vel saltem ab initio beatitudinis ipsorum. In secunda enim Angelicæ creationis mora illis propositus est Christus Dominus, ut illum tanquam Deum hominem futurum fide susciperent, & ut caput suum, & auctorem suæ salutis agnoscerent, & utroque titulo diligerent, & reverenter colerent, & adorarent. Proposita tunc etiam illis fuit Deipara Virgo tanquam Dei Mater, in quam liberalissimus filius abundantiora gratiæ dona, & justitiæ merces diffusurus erat; ut ipsa in Angelos non pauca munera felici fecunditate profunderet, & beatas Intelligentias illuminaret, tanquam ipsarum Regina, ac Domina. Igitur, quid hoc aliud fuit, quàm per profopopæiam induci Christum, ac Deiparam magnalia sua evulgantes? Vide dicta sectione 10. & preme S. Vincentii Ferrar. S. Vincen. Ferrar. Ideo dicit ipsa: Ego ex ore Altissimi prodixi, quando eam revelavit Sanctis Angelis.

Christus & Deipara præconist ab Angelis initio sua conditionis.

S. Vincen. Ferrar.

228 Si verò hæc tibi non arideant, statuo secundò quod probabilius judicaveris; nimirum Concionem hanc habitam à Jesu & Maria, qua die Verbum divinum in utero Virginis humanam induit naturam. Cujus opinationis patronum habes Paulum de Palacio, egregium Sacrarum litterarum enarratorem in Conimbricensi Academia: qui initio commentariorum capitis 24. Ecclesiastici, sic habet: Ecclesiasticus hic accepit per revelationem futurum, ut Sapientia genita seu Filius Dei coram Deo, & omnibus Hierarchiis Angelorum (omnibus Angelis advocatis è mundo in cælum) hanc luculentissimam orationem in sui laudem habiura esset. Et ego probabilissimè credo, eam orationem habuisse quo die incarnari voluit. Quo die coram Deo, & tota curia cælesti eam habuit, & postquam habuit, magnum audientium plausum sibi conciliavit. Etenim etsi ea quæ in hoc panegyrico continentur in laudem Christi, ac Deiparæ, decursu temporis evenerunt, adhuc tamen, vel ab ipsamet Angelorum conditione, & beatitudine, vel ab ipso potius Dominicæ Incarnationis die, illa omnia Angelicis spiritibus sub uno aspectu proposita sunt.

Palatio.

229 Rem totam explico & illustro S. Petri S. P. Damiani verbis Ser. de Annuntiatione, loquentis

F

Initium à Deo concilium pro Incarnationis mysterio, Angelis ad-

quentis de ipsamet Incarnationis die. Evocatur (inquit) statim celestis ille conventus, & juxta Prophetam inquit Deus concilium, facit sermonem cum Angelis de restauratione eorum, de redemptione hominum, & elementorum renovatione: ac illis stupentibus & mirantibus præ gaudio de modo redemptionis, statim de thesauro divinitatis MARIE NOMEN evoluitur; & per ipsam, & in ipsa totum hoc faciendum decernitur; ut sicut sine illo nihil factum est, ita sine illa nihil refectum sit. Traditur Epistola Gabrieli, in qua salutatio Virginis, Incarnatio Redemptoris, modus redemptionis, plenitudo gratiæ, gloriæ magnitudo, multitudo lætitiæ continentur. Missus est ergo Angelus Gabriel, &c. En tibi evocatum à Deo Angelorum omnium conventum, & supremum concilium; in cuius medio fermocinantes inducit nosser Siracides Jesum, & Mariam, qua die ex Matre Virgine carnem assumpsit æternum Verbum. Unde Tigurina pro illis; & in Ecclesiis Altissimi aperiet os suum, vertit, os suum aperiet in concilio Altissimi. Et licet Deus, utpote omniscius, nequaquam alio à se concilio indigeat; Angelos tamen in concilio evocavit, ut consilium suum, ac deliberationem super opere Incarnationis præstantissimo mox perpetrando, aperiat. Ut verò ostenderet, opus moliri divinæ liberalitatis, ac magnificentiæ; opus exquisitissimæ absolutissimæque sapientiæ; opus supremæ potentie, singularisque bonitatis, quale est Incarnationis opus in utero Matris virgineo; uno eodemque tenore verborum tum Parentem sanctissimam, tum ejus Filium Deum, & hominem seiplos dilaudantes induxit in concilio Angelorum. Filius concionatur: *Mariæ nomen ex thesauro divinitatis evoluitur, utriusque magnalia evulgantur: Angelus ea contemplans, in admirationem rapiuntur, applaudunt, acclamant, ut opus perficiatur instant, ad Virginem ad-*

Ad Incarnationis mysterium natura Angelica suffragata est. S. Bernard. Senens.

230 Hic expende quid nobis insuper subministraverit S. Bernardus Senensis Serm. 6. de septem verbis Mariæ ar. 3. c. 3. quod inscribit; *Quod ad conceptum Filii Dei tota natura Angelica suffragata fuerit.* Qua id ratione factum, ita floridè explicat. *In hora, qua Gabriel ad Virginem missus est, omnes Angeli noverunt quod per Virginis consensum firmandum erat à Deo caput, & principium nostræ salutis, Christus scilicet in quantum homo. Ergo in illa hora tota Angelica curia totis desiderii, & conatibus intendebat in Virginem suo ministerio adjuvandam ad tantum opus debite suscipiendum, ac perficiendum. Et hoc tam apud Deum totis viribus pro hac re orando, quam etiam in ipsam secundum proportionem Hierarchici ordinis influendo. Nam omnes Seraphim tale adiutorium suscipientes à Deo, illud influebant in Cherubim, Cherubim in Thronos, Throni in Dominaciones, Dominaciones in Virtutes, Virtutes in Potestates, Potestates in Principatus, Principatus in Archangelos, Archangelos in Angelos, Angeli in Gabrielem, Gabriel in Virginem benedictam.* Ecce quo modo omnes Angeli in illo initio concilio suffragati sunt ad Dominicam Incarnationem.

Cant. 5. 1. Angeli ad epulas Dominicæ Incarnationis invitati. Honor.

231. Accedit Honorii existimatio, qui premeus illa divini sponsi Verba Ca. 5. 1. *Comedite amici, & inebriamini charissimi*, arbitratur ad cælestes spiritus hæc dici, quâ die Dominica Incarnatio peracta est. *Nunc Angelos ad communes lætitiæ epulas invitavit: Comedite amici, & inebriamini charissimi: amici 2 quia*

multum amant; charissimi, quia multum amantur. Hi nimirum de humani generis, quod in Adam perierat, restauratione, piè & sollicitè satagentes, conditorem sui assistebant jugiter interpellantes, quodam sancto familiaritatis ausu sic compellebant: *Exsurge, quare obdormis Domine? Exsurge, & ne repellas in sinem nostræ diminutionis nostræ? Et inter nos tot loca vacua: sed da gloriam nomini tuo, & secundum æternum propositum tuum, imple tot locis indecenter debiscem numerum nostrum.* Consonat Guilielmus eadem Cantorum Guiliel. Verba tractans, ita festivè: *Incarnatus Dei Filius sponsus sit, & invitat Angelos ad nova gaudia: Comedite nunc festiviis panem vitæ, quo beatè vivitis: bibite usque ad sobriam ebrietatem vinum æternæ jucunditatis. Epulari enim, & gaudere vos oportet, ô amatores hominum; quia ecce factus sum mediator Dei, & hominum, &c. Bibite amici usque ad ebrietatem, hoc est, usque ad antiquæ perditionis humanæ oblivionem. Nolite amplius conquiri de vacuis sedibus ordinum vestrorum; ille suo tempore redemptis sanguine meo replebuntur.* Satis abundè ostendunt quanta fuerint Angelorum vota, & desideria de incarnando Deo; quantoque perfusi sint gaudio ob perfectum Incarnationis opus. Magnus omnino nobilissimisque illis mentibus dies, quo id per Virginem Matrem perfectum est; quandoquidem dierum præstantiam, non ex solis circum terram latatione, sed ex operum in eis patrorum dignitate, metimur: atqui Incarnationis opere nullum dari quid perfectius, digniusque. En dies, qua habita illa concio est à Jesu, & Maria, evocato Angelorum conventu, & concilio.

232 Ad Angelicos plausus, & acclamationes hilaritate plenas, illa Ecclesiastici nostri spectat: *Exaltabitur, admirabitur, habebit laudem, benedicetur.* hujusmodi enim lætæ, faustæque acclamationes excitari solent in theatris, publicisque conventibus, cum aliquid lætum, diuque desideratum excipitur; tunc clamare solent spectatores *Feliciter*, aut quid simile. Solemnes has Angelorum acclamationes, quibus Dominicæ Incarnationis mysterium, & œconomiam exceperunt, bellissimè expressit vates Zacharias c. 4. 7. *Et educet lapidem primarium, & exaquabit gratiam gratiæ ejus.* LXX. vertunt lapidem hereditatis: Hebræi, lapidem capit. De Christi Incarnatione sermo est, quem Pater æternus quasi absconditum, revelavit, & eduxit per temporariam generationem ex Matre Virgine. Unde Chaldaeus effert: *Et emergit Christus, cujus ab æterno nomen dictum est.* Christum ex Maria natum appellat lapidem primarium, & capit: quia primò missus est in fundamentum; & quia in summo ædificii capite locatus est. Jacto hoc lapide in fundamentum Ecclesiæ per Incarnationis mysterium, futuras acclamationes Angelorum faustas prædicit: nam pro exaquabit, est vox Hebræa *tesuoth*, quæ nomen est in plurali numero, & multi interpretantur clamores, acclamationes. Unde Pagninus, Varablus, Montanus, Rabbini, & alii vertunt: *Educet lapidem primarium cum clamoribus, cum acclamationibus, gratia, gratia illi: fausta omnia huic lapidi.* Angelorum quidem istiusmodi plausus erant, clamores, & acclamationes solemnes, faustæ, lætissimæ; qua die Verbum carnem assumpsit; & respondent acclamationibus illis eorundem Angelorum, qui

Angelorum vota pro Incarnationis mysterio.

Angeli festivi acclamationibus mysterium Incarnationis celebrant. Zachar. 4. 7.

qui nato Domino cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo, &c.* Hæc de Christo: seorsim de ejus Genitrice jam dico.

SECTIO XII.

Excepta Deipara ab Angelis cum faustis acclamationibus, quibus eam ab originario crimine immunem, & gratiâ semper plenam vociferantur.

332 Nulla se dabit opportunitas statuendi immunitatem Virginis ab originali vitio, quam nos prætermittamus. Exaggerantes audio cælestes omnes spiritus (si in re tanta, ulla est exaggeratio) Mariæ gloriam: exaltatur ab illis, admiratur, laudem habet, benedicitur: postquam illud in primis exceperunt ex ore Virgineo: *Ego ex ore Altissimi provivi: quod ad ejus purissimam Conceptionem, infra referemus.* Certè, ni mea me fallit pietas, solemnes Angelorum acclamationes sunt, quibus Genitricem Deiparam immunem ab originaria culpa vociferantur, cognitâ ejus electione in Dei Matrem, hominum, & Angelorum Regnam, Dominicam reparatricem. Huic nostræ cogitationi ut splendorem concilium, iterum rationis trutinæ mandato Zachariæ verba; quæ, ut vidisti, Angelorum acclamationes continent, exaltationes, admirationes, benedictiones; quæ etsi in Christum ferantur, ferri tamen in Virginem Matrem, vel ab instanti suæ Conceptionis sanctam, efficere nitur, atque contendam, novo forsam, & accurato studio, quod nulli non ardeat. Textum accipe sacrum ex cap. 4.

Zachar. 4. V. 7. *Quis tu mons magne, coram Zorobabel? In planum: & educet lapidem primarium, & exaquabit gratiam gratiæ ejus.*

V. 8. *Et factum est Verbum Domini ad me dicens:*

V. 9. *Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, & manus ejus perficient eam: & scietis, quia Dominus exercituum misit me ad vos.*

V. 10. *Quis enim despexit dies parvos? & latibuntur, & videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel.*

Aliorum interpretationes prætermitto. Illud unum pro argumento horum verborum, universim statuo; sub reaedificandi templi Hierosolymitani metaphora, prædici à Vate restituentæ, ac renovandæ Ecclesiæ Dei fabricam; quam ab eximia petra incipiendam asserit; à Beata nempe Virgine Maria in gratia concipiendâ; cujus mystici ædificii architectum Christum agit Zorobabel; idem mysterium tam nomine, quam instrumento ipso architecturæ designans. Rem igitur totam per partes dissecabo, claritatis gratiâ.

S. I.

Mons magnus ædificio obstans, Demonarcha est, primæ superbiæ princeps, & superba generatione humana adversus homines intumescens.

333 *Quis tu, mons magne, coram Zorobabel. In planum.* Qui aptius hunc versiculum exfolvisse putant, sic scribunt Montem magnum ex re hostem appellat. Obstiterat arduum Sionis culmen, quominus templo primò extruendo justa pararetur arca. Nihil tamen arduum visum Salomoni primo Ar. P. Udeph. de Flores in Eccles.

chitecto, qui omnia latè explanavit, & templum magnificentissimum in ipso dejecti montis summo vertice construxit. Sic Torniel. in fac. Annal. Anno mundi 3023. ex Josepho 8. Antiqui. c. 2. & Paulus Palacijs in hunc Zachar. locum. Igitur aspero illi monti sacræ sese apponenti fabricæ confert Zacharias Sathanam, originariæ culpæ auctorem, & mystici templi extruendi adversarium: eumque nequaquam ædificationi impedimento futurum asserit: quia divini Spiritus industria, & virtute superbus ejus fastus dejectus, & in planum redactus, amplissimum ædificio spatium relinquet. Diabolum hinc montem nuncupari magnum, observant sacri interpretes cum S. Hieronymo, Ruperto, & aliis.

234 Addo, montis magni nomine allusum forsam ad Babylonem cum superbissimo ejus Rege. Jeremias enim in Babylonem invecus, *Babylon montem* appellavit, licet in loco humili, & plano esset sita, figuratè utique propter superbiam; quippe prima extitit superbiæ sedes ob superbam illam turrim c. 13. 16. *Dæce Jerem. 14. Domino Deo vestro gloriam, antequam tenebref. 16. cat, & offendant pedes nostri ad montes caliginosos.* Et c. 51. 25. *Ecce ego ad te mons pestifer.* Similiter Isaias 13. 2. *Super montem caliginosum levate signum.* Igitur per montem magnum apud Zachariam Babylonem intelligo; hujus verò symbolo humanam naturam interpretatur primigenia illa superbia insolentem, nec non superbissimum. Principem Babylonici regni mystici diabolum, totamque Babylonicam superbiam nihil impedituram, docet Vates, huic ædificio, quantumcunque tumeat, & in altum efferatur; redigetur in planum, coram sapientissimo Architecto Zorobabele, id est, alieno à Babel, seu à confusione, Christo nempe, de quo infra dicemus.

235. Ut hæc luculentiora fiant, duo observo: Primum ad illa verba; *Quis tu mons magne?* Pro monte, Hebræicè esse *har*, quod generationem sonat, & conceptionem, uti Hebræicè doctus Arias Montanus docet Isai. 57. 13. & Zachar. 6. 1. & ad hunc ejusdem Zachariæ versum. Deinde observandæ varietate illius versiculi translationes. In primis LXX. LXX. Interpretum in Codice Vaticano: *Quis es tu, mons magne, qui ante faciem Zorobabel, ut corrigas? Sive ut est apud Cyrill. Alexan. ex versione nostri Jacobi Pontani: Quis es tu, mons ille magne, ante faciem Zorobabel, ut instans? Græcè ἡ καταρτιστὴν Hebræicè lemusur, à Verbo *iasar*, quod est complano, planum facio, dirigo, rectum placitum facio. Græcum item, *instaur*, erigo, feliciter rem conficio, ad felicem exitum perduco, rectum facio; quod omnibus virtutis numeris absolutum sit LXX. nomen inde ortum *iasar* verunt, *rectum, bonum, justum*: & interdum *re-dapes mundum*, Job. 33. 3. Jam ergo ex his observationibus prophetica sententiam licet in hunc modum accipere; Quid tu superba conceptio adversus Principem Zorobabelem summum superbiæ adversarium, te te extollis? Deprime inveteratum hunc fastum sordidâ generatione innotum: deponè innatè conscia humilitatis, deice, de turba insolentiæ verticem. Humanam alloquitur conceptionem plusquam Babylonica elatam superbiam, quam natura nostra jam inde à primo Parentum nostrorum conceptu pergebat suis foetibus ingenerare. Illic superbus humani*

F 2 generis